

**Specimen anatomicum, exhibens novam tenuium hominis intestinorum
descriptionem, denuo editum / [Christiaan Bernard Albinus].**

Contributors

Albinus, Christiaan Bernard, 1696-1752.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Henricum Mulhovium, 1724.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ych62f3r>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



MEDICAL SOCIETY
OF LONDON




ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

ALBINUS, C.B.

62027/R



62027/3

XIX 4R

CHRISTIANI BERNHARDI ALBINI

SPECIMEN ANATOMICUM,

EXHIBENS

NOVAM TENUIUM HOMINIS
INTESTINORUM DESCRIPTIONEM,

denuo editum.

EDITION MEDICAL
LONDINIENSIS



LUGDUNI BATAVORVM,
Apud HENRICUM MULHOVIUM, 1724.

Christian Hermann

Спомени на Симота и

Синай хъз

Симон Милет макои

Макоите даскил макоите

Симон
Макои

Симон
Макои

Симон Макои

Симон Макои

SPECIMEN ANATOMICUM,
EXHIBENS
NOVAM TENUIUM
HOMINIS INTESTINORUM
DESCRIPTIONEM.

PROLOGVS.

ET si non dubitabam, Lector Humanissime, fore plerosque, qui meum hunc qualcumque laborem reprehenderent, & parvi facerent, quod in re a summis Anatomicis Veteribus diligenter & accurate occupata, & hac tempestate quasi perfecta, operam meam frustra collocarem; ego tamen, vel hac ipsa de caussa, non desistendum esse, sed potius multo diligentius pergendum credidi. Nam & inter optimos Scriptores, quos de hoc arguento consulebam, nisi ubi alium alias Au-

S P E C I M E N

etorem fideliter secutus erat, parum cætero
qui convenire animadvertebam; & quae,
cum in recentibus, tum diversimode præ-
paratis, tenuibus intestinis, in Cl. FRA-
TRIS officina, ex qua haec me de-
promississe liberrime profiteor, curate
notaveram, ab omnibus his egregie di-
screpare deprehendebam. Ideoque haud
inepta prorsus, forte etiam nova hinc in-
de, videbatur fore haec materies, quam
~~ex~~ lege Academica, ut Doctor Me-
dicus inaugurarer, speciminis tantum
loco extunderem. Noli propterea om-
nibus numeris absolutam intestinorum
descriptionem a me exspectare. Quaedam
enim a peritis Scriptoribus pulchre an-
notata, & repetita toties, de industria
omisi, ut satietati Tuae occurrerem. Mul-
ta etiam, quae addere potuissim, sciens
praeterii, ne modum hae pagellae exce-
derent. Omne vero studium & operam in
id contuli: ut *tenuum intestinorum tuni-
cas, vasorum arteriosorum & venosorum ad
bas*

has iter, per eas distributionem, finem ultimum, & actionem, exponerem quam accuratissime. Quod si in rebus latentibus & subtilibus ubique feliciter adsecutus non fuero, dummodo meam Tibi voluntatem & diligentiam approbavero, satis praeclarum laboris fructum me perceperisse existimabo. Caeterum, tenuem hanc dissertatiunculam, summis in Medicina honoribus adipiscendis destinatam, professione necessitatis, nisi laudatam, saltem excusatam fore, spero. Vale!

§. I. Jam primum omnium satis constat, tenuia intestina primam & externam a mesenterio, vel peritonaeo, habere tunicam, cui *Communem* Anatomici apposite dixerint nomen, quod praeter intestina quam plurimas partes alias continuis sui productionibus arcte includat. Scilicet id sollerter naturam ubique ferre in corpore humano fecisse deprehendimus; ut nullum in eo, majus paul-

lo, finxerit cavum, organa continens, cuius internum parietem, & contenta, perpetua, & omnibus his communi, membrana non obduxerit. Hoc sane, ut a majoribus incipiendo cum minoribus finiam, praestat in abdome peritonaeum, in thoracis camera utraque pleura, in oculo tenerima adnata, totum oculi bulbum anterius, qua aëri patet, & internam palpebrarum faciem investiens. Neque aliud omnino in pericardio, nasi cavis, ore, pharynge, larynge, caeteris multis, observamus; pauca tantum si excipiatur loca, & in his præsertim concava calvariae pars, nam etsi dura mater totam illam concamerata ejus sedem pulchre ambiat; involucrum tamen εγκεφαλω nullum largitur.

§. 2. Peritonaeum vero in abdomine, ut proprius rem ipsam veniam, format primo mesenterium, hoc deinde communem intestinorum tunicam.

Quod

ANATOMICUM. 9

Quod, quo modo fiat, uti levi negotio
in subiecto apparet, ita haud facile mens
verbis feliciter depinget. Conabor tamen
breviter & dilucide, ut in re difficiili,
fungi hoc meo officio. Finge itaque,
peritonaeum anteriori cavi abdominalis
sedi primo applicari, (neque enim cer-
tius hic, quam in circulo, aut sphaerico
cavo, principium assignavero) & inde
cavum investiendo, utrumque opposito
itinere paulatim retrorsum pergere; do-
nec, propter lumborum vertebras, bi-
na illa extrema, quae mente concipiun-
tur hanc viam ambulasse, a dextris &
sinistris accendentia, obvia sibi fiant: fin-
ge, illa, postquam se mutuo attigerunt,
circa arteriae mesentericae superioris ex
aorta elongationem, exsurgere mem-
branosa, in binas lamellas, quae tum
porro sibi invicem per planas superficies
applicentur, & sic unitae in cavum ab-
dominis libere productae, pendulac
fiant; ut hac ratione corpus, ex dupli-
lamella,

lamella, utraque peritonaei propagine, constans, ^{a angusto ortum principio,} & mox in miram amplitudinem latitudinemque daturum, ut omnibus jejuni ileique, nec alterius, intestini commode connasceretur anfractibus, constituant; cui Veteres μεσεντερίαν, & μεσάεγιον, nomina dederunt.

§. 3. Hi (§. 2.) sunt externi mesenterii limites; hujus extremo, per totam longitudinem, pulchre adhaerent ileum & jejunum, intestina: quem connexum si descripsero, patebit, quomodo mesenterium communem horum intestinorum tunicam producat, & quo tandem illa circumPLICET amplexu. Binae igitur illae mesenterii lamellae, mutua applicatione mesenterium hactenus facientes, (§. 2.) quum ad extremam ejus fimbriam pervenerunt, ubi jam jam intestinalem tubum attingunt, a mutuo illo suo contactu secedunt, nec amplius mesenterium sunt; & tum quaque earum

una

^a Sunt fere Vesalii verba Lib. 5. Cap. 6.

una cylindricum hunc, quem inflatum
volo, tubum utrumque suprascandit, &
procedit, donec ambae, nunc inclu-
dentes intestinum, sibi mutuo supra il-
lad occurrant, & continuentur; ita ut
hac ratione constituant unicum, per-
petuum, nec interruptum ullibi, in-
testinum ambiens, involucrum. Nisi ma-
velis dicere, unam mesenterii lamella-
tum, intestinum concendentem, cir-
cumeuntem, ab altero latere descenden-
tem, & tum intestinum deserente, in
continuari alteri ejusdem lamellarum,
seu illam potius ipsam esse. Quod pul-
chre satis exprimit ³ VESALIUS. Unde
fit, ut ipsi illi hiatui, secedentium me-
senterii lamellarum, e regione opposita
quantulacumque intestini pars, mini-
me hoc involucro tecta reperiatur. Quod
hic annotasse juvabit admodum, quum
ad explicationem tunicae cellulosae ex-
ternae, & transitus vasorum ex mesente-
rio ad intestina, ventum erit. Porro,

³ Lib. v. fig. litt. k. k. L. L.

B sic

sic facta, involvens, externa, communis, tenuis, densa, non dilatanda facile, membrana ad intestinum annexitur, ea tamen lege, ut ipsi, proxime mesenterium, leviter tantum haerescat, mox paullo arctius; donec circiter digiti transversi a mesenterio utrimque intervallo arctissime adfigatur, & tandem oppositae mesenterio intestini sedi tam valide concrescat, ut integre in adulto minime, in foetu arte tantum, a subjectis possit laxari. Verbosius forte, quam par erat, haecce executus sum; sed non licebat esse breviori in his, ut accurate paterent, quae subsequuntur.

§. 4. Excipit communem secundam tunica, modo ita dici possit; quam primus ante omnes *Cellulosam* scite appellavit, & pulchre descripta Clarissimus RUY SCHIUS: in quo Viro, nescio utrum admirari magis debeam incredibilem scientiam subtilis Anatomes, quam Ipsi diligens labor in animalis corporis

corporis partium investigatione, & aetas, longinqua observatione, attulerunt; an insignem candorem & veram simplicitatem, affirmantis tantum, & libera-
liter proferentis ea, quae verissime se in-
venisse credit: ideoque Clarum Virum,
quem veneror, mitiorem in partem in-
terpretaturum confido, si eandem,
quam monstravit, viam, simplicem, a-
pertam, directam, nec fallacem perse-
quens, hinc inde ab Ejus opinione paul-
lulum dissentire coactus fuero; gestiens
simpliciter, absque frivola jactatione,
aut alienae gloriae obtrectatione, cir-
cumspecte describere omnia, ut mihi
quidem, curate sedato animo consi-
deranti, verissime sese habere visa sunt.
Si tamen veriora his mihi demonstrare
dignatus fuerit, meliora meis anteponam
quam lubentissime. Uti prior tunica
(§. 3.) ita etiam haec altera est mesente-
rii propago. Haeret inter binas ejus la-
mellas (§. 2.) singularis, & mirabilis

plane, structura; quae in recenti, macro, diductis vi lamellis, apparet molliis quaedam, tenera, sequax, materies; inflicta vero alterutri mesenterii laminarum plaga, & aëre per tubum inter eas adacto, diducuntur paullulum istae lamellae, & omnis illa materies abit in ingentem cavernularum numerum, propter aërem mille cavernosis meatibus interceptum. Talis structura diffundit se aequaliter per totum mesenterium, & in illo loco, ubi hujus secedentes lamellae intestinum conscendunt, opplet quoque totum illum, inde oriundum, hiatum; applicata isti intestini plagae, (§. 3. med.) quae communis involucro non tegitur, sive tertiae ejus, mox describendae (§. 6. & 7.) musculosae, tunicae; sed & inde procedit porro utrumque inter communem & musculosam membranam, majori quidem copia primo, sed paullatim immixta, dum strictior sensim fit harum cohaesio (§. 3. in fine) ut tandem ibi lo-

enq

ci

ci, ubi externam musculosae firmiter adnasci diximus (§. 3. in fin.) nec flatus, nec ullum adhuc notum artificium, cellulosa fabricam fieri posse demonstraverit. Proinde haec tunica totum intestinum non ambit, sed digitus transversi circiter a mesenterio distantia utrumque terminatur: nec sane tunicae integræ nomen mereri videtur. Quocunque illam habeas loco, rara est & fibrata materies, inter binas tunicas intercepta, & ut videtur illa, quam *tanta tenuitate factam esse* scribit *ARCHANG. PICCOLHOMINUS*, *ut non nisi oculis lynceis animadvertis possit.*

§. 5. Vide autem, quam pulchre haec omnia cohaereant. Cellulae hæc in mesenterio, & circa intestina, ut alibi passim in corpore, pingue ex arteriis secretum, accipiunt & asservant; docente corporum incisione. Unde saepe in valde obesis, mesenterium, a sola pingue-

B 3 dinc,

dine, digitum crassum observatur. Sed ubinam, quaeſo, intestinis circumponitur mollis haec, cancellis coercita, pinguedo? Sane in parte mesenterio proxima, utrimque ad digiti, ad summum ab eo latitudinem; id est præcise ibi loci, quem tantum cellulositatem illam occupare ex contemplatione affirmavi. Neque toti illi ſedi, qua communem musculosae valide adnecti, & cellulas abeffe, ſcripſimus, pinguedinem vel in obesissimis, & a pinguedine ſuffocatis, adnatam adhuc observatum eſſe ſcio: in iis faltem caſibus omnibus, quibus mihi frequenter ſatis intereffe licuit, numquam tale quid apparuit. Immo, quae necessaria omnino erat pinguedo intestinis prope mesenterium, ad facilitandam eorum actionem, huic exercendæ in reliqua ſede obſtitifſet quam maxime; adeo ſane non profuiſſet. Prope mesenterium vix multum contrahuntur & in reſtitu-
dinem exporriguntur intestina, cum sensibili

sensibili effectu; ad quae bina omnis musculosae illorum partis actio referri posse videtur: utrique obstat ad intestinum annexus. Hinc commodissime ad locum, nihilominus vix movendum, locari poterat iners pinguedo, quae pressis cellulis exsudaret oleum, molle, laxans, lubricans, supra fibras musculosas, semper agentes. At cum pars a mesenterio aversa in primis sensibili musculari actione agitetur, (vid. §. seq. 7.) majus sane huic impedimentum addi non potuisset, quam eadem illa pinguedo, sua mole & crassitie intestinum omnino rigidius & immobilius reddens, & omnem motum absorbens. Quod ratiocinium mirationem forte faciet, oleum, partibus, quae maxime motu carent, apponi solitum, eo loci non adesse, ubi & fibrae musculosae omnium maxima copia deprehenduntur, (§. 6. & 7.) & illae cum primis moventur; quum interim ejus ibi praesentia, ex comparatione eorum,

rum, quae alibi in corpore fiunt, quam maxime desiderari videretur : sed oleum, hercle, his non deest, licet ipsa ejus receptacula, & apothecas quasi, natura huic intestini sedi commode apponere non potuerit ; nam aliunde sufficienter id affertur, dum pingue & tenerum omentum hoc liberaliter adeo suppeditat, maxime huic intestinorum parti, vix magis profunda, incumbens & interstratum.

§. 6. Tertium, quod sequitur, involucrum duplicis seriei exiguis musculis constat : cur enim has fibras ita non vocarem, quum a majoribus mole tantum differant ? Externa series *Longitudinalium* est. Hi parallelositu, tenues, per totum intestinorum syrma exporriguntur ; sed non ubique ; ut figurae Auctorum videntur innuere. Nam collocantur tantum in opposita mesenterio intestini sede ; digitus transversi in his, pollicis in aliis, latitudinem occupantes. Unde

fit,

fit, ut intestini tenuis portio a mesenterio resecta, & inflata, semper versus illam partem incurvetur, non cedentibus scilicet, sed retrahentibus his musculis. Nectuntur firmiter communi tunicae, non intercedente cellulosa. Quin & ubique subjectae seriei annularium muscularum innectuntur: neque enim continuo quasi filo per totam intestinorum longitudinem ducuntur, ut recepta fere opinio est; sed postquam paullulum spatii confecere, statim ad interiora vellut inflectuntur, & absorbentur, evanescente sic confessim ulteriori eorum progressu, & emergentibus quasi, in ipso illo loco, iterum aliis. Et hac de causa interrupti apparent, ut in rectis abdominis quasi videre est. Patet vero ex consideratione situs horum, & nexus intestinalium ad mesenterium, omnem actionis illarum effectum perfici, in rectitudinem cogendo intestina: & hinc inutiles fuissent in omni loco alio.

§, 7. Internam seriem *Annulares* constituant, quae, tenues quamvis, priores tamen crassitie & copia multum superant. Sunt innumeri musculi, exigui, intestinum ambiendo in se redeentes, hinc orbiculos constituentes, juxta se invicem arcte appositi. Noli tamen existimare, ita geometrica exactitudine haec sese habere: nam vix adeo multos sibi tam accurate juxta positos observabis; quin passim aliqui, nullo ordine, in medio itinere se subducant, & vicinis sese innectant, nec integrum orbiculum efficiant. Unde tam liquido determinari posse non videatur, sintne annulares omnes, an spirales intercurrant? In genere tamen spēctati, orbiculorum naturam magis affetare videntur. Noli etiam mirari, quod perfectos orbiculos in se redeentes esse affirmem, quum tamen eos a mesenterii fimbria oriri, & postquam intestinum circumierunt, in eandem inseri (ut verba,

ba, mesenterii fimbriae tanquam tendini inseruntur, intelligo) Clariss. WILLISIUS auctor sit. Ut enim mittam, hoc nullo modo demonstrari posse, ipsa mesenterii fabrica (§. 2. 4.) ad intestina annexus (§. 3.) cellulositatis (§. 4.) situs, quam aperi-
tissime obstant. Etenim, si ad calculos rem ipsam voces, obsecro, cui mesenterii parti insererentur hi musculi? an cellulosae (§. 4.) nullam profecto stabilem insertio-
nem largienti: an potius laminis intesti-
num concendentibus? inter quos tamen,
& musculos orbiculares, interponitur o-
mnis cellulositas (§. 4.) & in multis crassa
pinguedo (§. 5.). Quam vero aliam, ta-
li insertioni idoneam, mesenterii sedem
invenies? nullam hercle. Nam minime
fabricatas ad id apte glandulas, vasaque,
& nervos judicabis. Et dubitavi, anne
ita sentiendi opportunitatem WILLISIO
dederint nervi & vasa, ex mesenterio ad
intestina vadentia? quoniam, si injecta
cera non turgeant, sanguine orbata, col-

lapsa, tale quid commode mentiuntur : eo magis, si intestinum inflatum & ligatum fervidae aliquoties immergatur, usque dum totum semicoctum appareat, ut in examine fibrarum ventriculi praecipit *WILLISIUS* ^a, & in intestinis fecisse videtur; quum scribat, haec easdem tunicas simili ritu cum ventriculo conformatas obtinere ^b. Et si vero mesenterii fimbriae non inserantur, nihilominus tamen, dum, se se contrahendo, agunt, arctant non modo simpliciter cavum intestini, sed & tota illarum tractio fit versus mesenterium; utpote cui intestinum annexitur (§. 3.) & versus quod, tanquam punctum fixum, necessario reliqua tota libera, nulli parti haerens, mobilis intestini sedes utcumque trahi debet. Molestus sim, si excedere velim ad enarrandum, quod officium hi musculi (§. 6. 7.) nobis praestent. Nemo enim nescit, ab his

^a Willif. Sect. II. II. 2.

^b Ibidem. Sect. II. III.

his pendere mirabilem illum lumbricalem, peristalticum dictum, intestinorum motum, cuius effectu tortuosa intestina tum adstringantur, tum relaxentur, atque omne, quod acceperunt, cogant & confundant, ut facile & calore, quem multum habent, & terendo cibo, & praeterea spiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividant, & cibi reliquiae depellantur. Et hunc sane motum, adeo necessarium ad corpus sustentandum & reficiendum, natura, quan nihil potest esse callidius, tanta sollertia his musculis indidit, ut diu post ipsam animalis mortem, & machinae totius quietem, ad stuporem humanae rationis, superstes remaneat. Hoc certe se uno natura, creantis Dei effectus, maxime jactat specimine, haud male a Zenone ^s plane artifex, consultrix & provida utilitatum, opportunitatumque omnium appellata. Ipsas enim illas machinas, quarum astutissitate tantum refici poterat, quamlibet

C 3

quamlibet

tumlibet labefactata, vita humani corporis, omnium ultimo mori, callidissime voluit. Sed nolo his diutius inhaerere, festinans ad quartae tunicae novitatem.

§. 8. Ne autem vel ipso novitatis inviso titulo in varias reprehensiones incurrat haec scriptura, in medio ponam accurate capta experimenta omnia, quae in unum consentientia rem veram & perspicuum, non suspiciosam esse testabuntur; rogans, obsecrans omnes, ut suum de ea judicium suspendere velint, donec singula cum cura iterata, attente perpendant. Si pars tenuis intestini servidae immergatur; aut, quod malim, ab hac recenti, inflata, cultello auferantur tunica extima & musculosa, sequitur alia quedam, per cuius telam raram vasa sanguifera innumera, & ramificatione densissima producantur^a, quod pulchrius appetet, si reple-

^a Willis. Pharm. rat. Sect. II. II. coll. cum Sect. II. III. Tab. 4. fig. 2. & Tab. 6. D; D. D.

ta prius fuerint. Nerveam vocat *WILLISIVS*, nec male, si per μέρης νευρῶδες in genere intelligat *partes albas*, *exsangui materiae præditas*, quo sensu olim passim sumebatur haec vox^a: sin vero ita dixerit, quod vere nervosam, sive ex nervis, qui a cerebro & spinali medulla sunt, construetam crediderit, ut ejus scripta fidem quasi faciunt, haud dissimulo, accuratum hujus examen ejus me sententiac esse non sinere. Nam etsi non negem, multos per eam dispergi nervos, tamen ex his constare, non magis crediderim, quam fabricam inter binas mesenterii lamellas interceptam (§. 2.) esse nervorum contextum; cum qua in omnibus fere convenit. Quibus expositis, facilis est conjectura, qualis sit ejus constructionis ratio. Talis scilicet, ut flatu intra eam leniter adacto, tota in mirabilem cavernularum, & inextricabilem texturam, confessim explicitur.

Quam

^a Galen. comm. in lib. 6. Epidem.

Quam tunicam *Cavernulosam*, aut *Cellulosam* alteram & internam vocabo; tametsi tunica proprie dici nequeat, quum tantum sit cavernularum congeries, haerens inter binas, musculosam & internam, tunicas.

§. 9. Sed, ut opinor, non erravero, si prius quam illam (§. 8.) accuratius describere aggrediar, productis experimentis demonstravero, esse talem, & quidem illie praecise loci. Et ut omnem addubitandi ansam praescindam, modum, quo parari possit, simul indicabo fideli-
ter & aperte. Cape intestini, recentis, nullibi laesi, portionem, a mesenterio, proxime intestinum, resectam; inverte illam, ut quae naturaliter interna fuerant, nunc fiant externa; liga probe alterum extremum; alteri tubum immitte; per hunc adige aërem flatū leniter in ipsum cavum intestini; hoc tum extende-
tur primo in cylindrum, perge tunc paul-
lulum inflare, & videbis undique sensim ele-

elevari solam tenuem internam tunicam, sub ea rara quadam materie apparente, & per eam, soli obversam, transparente. Hoc facto, ne urgeas amplius; sed filo circumducto liga & hoc intestini extremum; & tum, remoto tubo, aëre intus per ligaturam probe coercito, exsicca totum. Quod si feliciter cesserit, transversim discinde, & gaudebis, jucundo spectaculo visurus elegantem cavernulosam fabricam *, spumae vel nivis candidissimae ad instar aequa ubique copia congestam, inter musculosam & internam, villosam, tunicam. Et est haec profecto ex nitidissimis in subtiliori Anatome praeparationibus, mira quadam gratia curiosum & intelligentem oculum in se convertens.

§. 10. Audio: clamas, qui hoc legis & imitaris; elegans, largior, haec est praeparatio, pulchra cellulosae fabricae demonstratio; sed quem temere induces

D

ad

* Ruyfch. Thesaur. VI. Tab. V. fig. 2.

ad credendum, hanc illum occupare lo-
cum, quem ipsi tam audacter assignas?
Comprime, amabo, motus. Facile ad
haec feres, & breve responsum. Imitare
iterum, iterumque in macilentis, & pin-
gulatoribus; attende ad modum parandi,
& ad ea, quæ inter parandum apparent:
considera sic paratum intestinum ante
exsiccationem, post eam; versa omni
modo; quaere sedulo locum, quem ob-
sidet illa cellulosis; alium non repe-
ries praeter indicatum. Dicis, ipse prae-
parandi modus huic sententiae obstat
quam maxime; quoniam hoc modo aër
transire deberet per poros tunicae com-
munis, & ipsam insuper musculosam, an-
tequam ad cellulosam perveniret; quum
majori veri specie videatur ille, penetrans
tunicam communem, inter haec & mus-
culosam, se diffundere: tumque haec
cellulosa non foret sub musculosa, sed
inter haec & externam; adeoque eadem
cum superiore, descripta (§. 4). Sed di-
luam

Iuam hoc dubium : aër adactus nullo modo penetrat poros tunicae communis, quae nimium densa est: sed ille hoc modo in intestini inversi cavum immissus, urget totum illum concameratum ambitum, resistente quam maxime, nec transmittente, tunica communi, ubicumque adest: ibi vero loci, ubi mesenterium prope intestinum abscissum est, & ejus reliquiae secedentes hiatum formant, applicatur aër nudae tunicae musculosae simplici (§. 7.); nam ibi longitudinales musculi non adsunt. Si magis urgeatur, insinuat se inter communem & musculosam, quo usque licet; ibi vero praecise loci vasa ex mesenterio ad intestina aeduntia, hactenus supra musculosam delata, inter eus secedentes musculos penetrant, & subter eam pergunt (§. 18. 19.). Unde musculosa ad locum transitus horum est omnium aptissima transmittendo aëri; tanto magis, quoniam intestinum, illa prius parte mesenterio breviori affi-

xum, adeoque brevius & rugosius, nunc ab eo resectum, & longius factum est; unde musculi quoque ab invicem diducti sunt. Et hinc, profecto, via aëri, ex cavo sic inversi intestini, inter secedentes mesenterii lamellas ad musculosam, inter hujus secedentes musculos, juxta ingressum vasorum, sub musculosa, expeditissima est. Quam insuper pulchre confirmant alia observata. Nam si majori paullo distantia ab intestino resecueris mesenterium, ut ejus lamellae, post inversum intestinum, ab invicem nec secedant, nec hiatum faciant, quantacumque aërem urgeas vi, totum prius crepabit intestinum, quam ut cellulosa assurgat; clausa nempe hac via. Iterum, si copiosa pinguedine obsessum sit mesenterium, & cellulæ externæ; haec obturat perfectly eandem viam, & frustra cellulosa, laudato modo, efficere studebis. Si in utroque hoc casu, antequam intestinum invertas, leve vulnus, vel & plura, tuni-

cæ

cae externae, in regione mesenterii insertioni opposita, ubi trunci majores vasorum non penetrant musculosam, infligas, ut ad musculosam usque penetret, & tunc, intestino inverso, urgeas aërem, nihilo citius voti fies compos. Sin vero, in iisdem iterum casibus, unicum, minimum, vulnusculum feceris ibi loci communem non modo, sed & musculosam penitus perforans, interim neutiquam laedendo internam, tuncque intestinum invertas, & aërem urgeas leviter, confessim orietur cellulosa, incipiens fieri in loco praecise vulneris, & sensim sese per totum intestini ambitum diffundens. Ex quibus, ut opinor, liquido constat, aërem illum non supra musculosam, sed sub ea excurrere; & cellulosam sic paratam ibidem collocari. Transire autem eum per secedentium muscularum hiatus, qui vasorum truncos transmittunt, ex superioribus satis constat, & alio iterum egregie probatur experimento. Me-

fenterium, ut supra, ab intestino, omni pinguedine orbato, abscede, ut magna satis ejus portio adhuc adhaerens relinquatur intestino; parvo foramine solam perfora tunicam communem, prope mesenterium, adeoque ibi loci, ubi vasa majora penetrant musculosam; & tum invertendo, & inflando, procede ut prius; quam citissime parabis cellulosam; quum e regione mesenterii, ubi magna vasa non admittuntur a musculosa, ex dictis effici non potuerit, nisi & communis, & musculosa ipsa, perforatae prius fuerint. Et hinc porro fit, quod vasis non infarctis citius, illis vero cera distentis difficilius, immo quandoque minime, nisi ab exercitatissimo, confici queat. Multos jam circa hanc rem ambitus feci, & facerem plures, si omnia phaenomena, quae inter praeparandum apparent, & idem semper probant, adferre vellem; quibus recensendis, ut periturae chartae parcam, supercedeo.

§. II. Postquam igitur via satis firmiter asserta est, nemo quoque in his mediocriter exercitatus dubitabit de loco, quem hanc cavernulis similem fabricam occupare supra affirmavi. Ne tamen imperfectam relinquam hujus disputationem, & hunc aliquot demonstrationibus adstruam. Quarum primam ex ipso iterum parandi modo, atque ex natura musculosae tunicae, & villosae, petam. Nemo ambigit, tunicam musculosam esse omnium intestinalium densissimam, robustissimam, & minime dilatandam. Nemo quoque ambigit, tunicam internam, villosam, esse tenuem admodum, & levi vi expansilem, eamque multo longiorem musculosa, ipsi applicari, sic valvulas passim formare, quae ex duplicata sola hac interna tunica, pendula, conficiantur. Quibus admissis, specta intestinum quam maxime inflatum, ut fere crepatura immineat, habebit certam definitam crassitatem, qualem nempe, quantum maxi-

maxime potest dilatata musculosa tunica, admittit. In idem illud intestinum inversum urge aërem leniter, antequam penetrat in hanc cellulosam, observabis, eandem illud tum habere crassitatem, ac prius. Tum perge inflando, ut fiat cellulosa, subito crassius fiet multo, & ipsi oculi testes docebunt, a musculosa, suae ulteriori dilatationi resistente, secedere, elevari, solam internam tunicam, ab orta cellulosa inter has binas. Quod tanto certius credes, quia eodem simul momento omnes valvulae evanescunt; aëre scilicet ubique sese insinuante, explicante, extendente longiorem, internam, tunicam, his maxime aptam. Unde fit, ut in partibus intestinalium, quae valvulis in primis abundant, crassior semper, & majori copia, confici possit haec cellulosa, quam in aliis; quae valvulis fere destituuntur, ut infra annotabo (§. 12.). Age vero; postquam cellulosa exsiccatione perfecta est, discinde transversim to-

tum

tum intestinum, plano ad axin ejus perpendiculari, & conspicies cellulas ubique inter binas membranas exsiccatas interceptas; applica tunc, quaeſo, attentionem ad istas membranas coērcentes; quam crassam invenies internam! scilicet ex communi & musculosa concretam, in qua insuper microscopio ipsos musculos annulares, siccatus, detegere poteris; quam tenuem vero & teneram observabis externam! villosam scilicet solam. Si vero adhuc haesitare lubet; in recenti intestino, levissimum tunicae internae, villosae, soli, inflige vulnusculum, adige tubo aërem, & fiet cellulosa, ut prius. Neque abs re erit scitam quandam encheiresin hic memorasse. Norunt Anatomici, difficile admodum esse, tunicam villosam a reliquis separare integrum; ipsa enim tenera est, & tenaciter adhaeret: si vero cellulosam paraveris prius, & antequam exsicces, villosam avelere tentes, nihil succedet facilius; ita un-

E dique

dique a musculosa tunc est laxata; & opus tantum est cellulositatem illam prudenter, & suspensa manu, discindere. Videtur sane in his argumentis nullum esse, quod rem ipsam omnino non demonstret: forte tamen negotium nondum confidere videbuntur. Supersunt alia, quae sola rei fidem facient. Ab intestino recenti undique accurate deglube totam tunicam communem; nec refert, si simul hinc inde portionem a musculari abstuleris; invertendo & inflando perge, ut prius; & admiraturus es, visurus, tunc tamen fieri cellulositatem eandem, eadem copia, quae post exsiccationem inter binas quoque tunicas intercipiatur, perfecte ut ante. Dic, sodes, ubi illam tunc haerere putas, nisi inter musculosam & internam? Si nunc his inclinari jam incipit ad credendum, vel obstinatissimi cuiusque & vulgaris sententiae tenacissimi animus, omnem ulteriorem scrupulum evellet nunc denique memorandum expe-

ri-

rimentum. Portionem intestini invertendo & inflando para cellulosam (doleo, quod perspicuitatis caussa toties iisdem fere verbis uti cogar); extrahe tubum, & sine exire aërem libere; semper satis magna copia in cellulosis cryptis interceptus remanebit. Sic paratum intestinum inverte secunda vice, ut communis tunica fiat externa; tumque vel infla leniter, ut turgidulum sit, vel aciculis supra asserem extende, acuto cultro suspenfa manu separa communem tunicam a musculosa; nulli hactenus occurses aëri, sed notabis nudam musculosam, & sub ea aggestas aëreas bullulas in cellulis nindulantes; perge separando quandam musculosae partem, idem clariss fiet. Tandem aufer alicubi totum musculosum stratum; subito aëris bullulae erumpent tum demum, & concident cellulae; & ad oculum patebit, cellulosam hanc sub musculosa, inter hanc & villosam, collocatam esse.

§. 12. Quicunque porro perpendet, nerveam dictam *WILLIO* tunicam, hac præparatione evanescere, concludet facile, nerveam illam talem esse, ex qua inflati aëris ope, & exsiccationis, cellulosa parati possit, quod solum omni illa argumentorum mole efficere volebam. Crassissima omnium est in duodenii principio, inde per jejunum ad ileum finem pergendo paullatim minuitur, quod a valvulis pendet, ut supra (§. 11.) indica-
vi. Id vero hic desiderari adhuc posse videtur, ut ipsam naturam staminum, quae has cavernulas constituunt, defini-rem. Sed fateor libens, nihil certi, vel artem, vel microscopium, me docuisse, neque ratiocinium quidquam probabilis suggerere; adeo enim simplex apparet haec fabrica, ut dubitem, an composita sit; unde si roges hujus cellulostatis indolem, aliud non regeram, quam esse singularem miram quandam structuram. Vellem autem discere ejus usum; nisi va-

sa per eam delata (vid. §. 18. 19. 22.) coërcet & ordinat. Nam etsi in aliis corporis nostri locis talis cellulosis oleo recipiendo & asservando fere destinata sit; in hac tamen ne guttulam olei observatam esse unquam scio. Quantumvis enim obesi hominis intestinum sumseris, quantalibet illud pinguedinis copia extrinsecus obsessum fuerit, semper illa cellulosa, de qua sermo est, absque arte parari poterit, nullam ullibi ostendens pinguedinem. Unde liquet, quam caute procedendum sit, in argumentis petendis ex similitudine cum alia corporis parte; quippe adeo naturam a systematibus abhorruisse deprehendimus; ut pauca generalia, cuncta ferme singularia fecerit.

§. 13. Sunt ergo binae cellulose, si ita appellare libet, quae differunt loco, modo parandi, structuraque, & usu. Quod egregie patet, si utraque simul in eodem intestino, omni pingui orbato,

subtiliter praeparata fuerit. Apparet tunc cellulosa *externa*, rara & laxa, totum intestinum non ambiens, discreta, per crassam interpositam muscularem, ab *interna* compactiori, densiori, toti intestino, ubique, aequali copia circumfusa. Apparet *externa* haerens inter communem, perquam tenuem, & muscularem, crassam, rigidam: apparet simul *interna*, inter crassam iterum muscularem, & tenuem villosam interjecta. Iterum, si in intestino, multa pinguedine obpresso, parata fuerit cellulosa interna, belle conspicitur pinguedo, cellulosa externam infarciens, ab uno muscularis latere, interna vero cellulosa, omni pingui vacua, ab altero ejusdem latere, collocari. Sed quid opus est rem evidenter pluribus, etiamsi ad manum sint, argumentis munire? quum hactenus aut eorum satis allatum sit, aut, me hercule, nesciam quid satis sit.

§. 14. Quinta tandem & ultima, &
inti-

intima tunica, accrescit cellulosae internae, quam *Villosam* haud incongrue appellant. Omittens, quae Auctores de hac varie scribunt, proponam prius, quae in recenti, absque ulla praegressa mutatione apparent, tumque illa, quae varia arte deteguntur. Teneram esse, & longam satis musculosae breviori annet, ut inde valvulae illae vel juga tenuium intestinorum oriantur, ex praecedentibus patet, & vulgo notum est. Nec videtur desiderari quidquam, praeter descriptionem superficie ejus, cavum intestini spectantis. Sed & hanc, ut in recenti se habet, Auctores occuparunt; notantes scilicet, quod levi in aqua tepida maceratione, & crebra ejusdem ablutione, detersa lubrica visciditate, concavae intestinorum parti adhaerente, & tunc inverso intestino, in liquore limpido suspenso, tota interior intimae tunicae facies nitidum quasi mentiatur holosericum;

dum

dutn scilicet microscopio in sole examinata, innumera quasi filamenta pendula totam illam superficiem obsidere videntur. Quibus nunc nil addo. Quid enim hi villi proprie videantur esse, descriptis arteriis & venis, ex nonnullis experimentis (§. 22) opportunum erit suspicari.

§. 15. Descriptis accurate tunicis, nullo fere negotio, vasorum inter has iter, finemque potero exponere. Accedere ad intestina binas arterias mesentericas (superiorem quidem ad tenuia, inferiorem ad crassa proprie) ex aorta oriundas, & venas ex portarum vena prodeuntes, in anatomicis est notissimum; & prae aliis incomparabilis *EUSTACHIVS* tam eleganter & accurate expressit in pulcherrimis illis 2. & 4. Fig. Tab. 27. quae sane solae intelligentem, & non sic obiter eas examinantem, rapiunt in admirationem summi Viri. Nam *complexum arteriae coeliacae*, & *venae portae*, quae per mesenterium & mesoco-

focolon usque ad podicem varie divaricentur sub aspectu non posuit, ut Illustrissimus LANCISIUS & suspicatus est: sed totum systema vasorum, quae ad viscera $\chi_υλοποιηπα$, seu abdominalia, pertinent, integerrime exposuit. Vide enim venam portarum cum omnibus suis propaginibus in fig. 4. 13. 19. Vide arteriam coeliacam, 15. 21. $\frac{1}{2}$, mesentericam superiorem 15. 21, mesentericam inferiorem 20. 23. $\frac{1}{2}$, & harum iterum totam per abdominalia viscera distributionem. Vide autem varietatem omnium in 2. figura. Ego vero, quum sola tenuia intestina describere in animum induxerim, & ad haec, duodeni principio excepto, sola tantum arteria mesenterica superior, cum ramis venae portarum, feratur, horum tantum vasorum ortum, progressum, & in intestinis finem ultimum, prosequar; initio ab arteria ducto.

§. 16. Arteria mesenterica superior mesenterium circa ejus originem ingredi-

[•] In explicat, figur. laudat.

F tur:

tur: sive potius, dum propter hanc arteriam (vid. §. 2.) utrumque exsurgens peritoneum, mesenterium format, haec simul elongata, ab eo includitur. Per mesenterium pergit aliquantulum solitario trunco, intra cellulas ejus (§. 2.), aut pinguedinem in obesis (§. 5.), qui mox in binos plerumque dividitur, & hi in plures alios, qui postquam aliquid itineris emensi sunt, mox ad se mutuo incurvati coëunt, sic insulas efficiunt, & omnes inter se communicant. Fit autem illud hac quasi lege, ut ramus, haëtenus solitarie decurrens, dividatur in binos, ad angulum acutum divergentes, mox ad se mutuo incurvatos, arcus forma, & in se redeuntes, ac imperfectum orbiculum constituentes; prope hunc secundus similiter ortus & formatus orbiculus; prope hunc tertius, & sic porro, locatur; bini iterum vicini orbiculi a parte anteriori arcus unius, ad partem anteriorem arcus vicini, emissâ arcus for-

ma

ma arteria, coeunt, & sic fere pergendo eleganter distribuuntur; ^a & ex una arteria in omnes alias via patet quam liber-
rima. Quia simplici mechanica natura effecit callidissime, ut uno licet, vel & pluribus, horum canalium obstructis, li-
bere tamen per reliquos ad omnes inte-
stinorum partes appellere possint humo-
res, & ita ipsa simul illa obstructio feli-
cius tolli queat. Quum, si recto itinere,
absque intermedia unione, deduxisset ar-
terias, tanquam radios, ad totam inte-
stinorum longitudinem, una harum ob-
structa, nullus profecto humor ad illam
intestini partem, cui caeteroqui prospic-
ciebat, obstructa jam arteria, ferri potuif-
set. Nunc vero ex parva illa plaga mesen-
terii, in qua hoc modo distribuuntur
arteriae, semper ad totam illam ingentem
intestinorum longitudinem derivari pos-
sunt humores. Immo, quum mesente-
rica inferior in mesenterii & mesocoli con-

^a Vid. haec omnia in laudatis Eustachii fig.

finio prope coecum intestinum cum ramo superioris communicet, licet ipsa superior vel & inferior in trunco sit obturata, semper tamen per alteram adhuc apertam sanguis ad omnia intestina appellere commode potest.

§. 17. Porro ex omnibus illis arcubus, qua intestinum spectant, emittuntur plurimi rami, non amplius coeuntes, sed recto itinere ad intestinum pergentes. Ex his autem ramis, unus plerumque hoc, proximus oppositum intestini latus, si inflatum ut cylinder consideretur, adit. Et sic alternatim utriusque intestini lateri prospiciunt. Interim hae arterie (§. 16. 17.) in toto suo per mesenterium decursu emittunt plurimos parvulos ramulos ad ipsas mesenterii lamellas, maiores ad glandulas: de quibus confer. Cl. RUY SCH. *

§. 18. Rami hi recti (§. 17.) ad intestinum jam jam adpropinquantes, trans-

eunt

eunt tuto per hiatum (§. 3.), attingunt tunicam musculosam (§. 7.), pergunt utrumque inter hanc & externam in cellulositate externa (§. 4.), quandoque oleo oppleta (§. 5.); haec tenus trunci, ramos non dantes; mox introtorquentur, transeunt per secedentes musculos circulares (§. 7.), penetrant in cellulosam internam (§. 8. & seq.), tumque porro in ramos certa ratione distributi errant per istam cellulosam, sub musculosa, & constituunt tunicam, *vasculosam* aliis dictam: ibi tunc illae arteriae emittunt ramos exiles, sed copiosos, ubique ad musculosam, partim per eam distributos, partim eam iterum penetrantes ad extimam tunicam: maxima vero harum arteriarum pars, & maximi rami, pergunt ad tunicam internam, & illam ubique attingunt; ita ut per illam non decurrant; sed ut omnes illae arteriae ad eam quasi desinere, & in eam absundi videantur.

§. 19. Venae meseraicae a venae por-

tarum ramo majori dextro oriundae, lo-
quor anatomice, & intra mesenterium re-
ceptae, eandem illico cum arteriis, qui-
bus sunt ampliores, adfectant viam.
Nam & in se passim redeundo orbiculos
similes formant, & a convexa harum se-
de, intestinum respiciente, rami venosi
recti ad intestinum pariter feruntur, ut
pulchre indicat egregius *EUSTACHIUS*
⁊; licet arteriae & venae ubique adeo ac-
curate, ut notat, sese mutuo non comi-
tentur, sed liberius paullo errent. Ipsi
etiam hi rami recti per eandem cum arte-
riis viam (§. 18.) ad intestinum delati, eo-
dem modo penetrant musculosam, (nisi
quod, antequam musculosam transeant,
in ipsa cellulosa externa, unusquisque det
venam notabilem, inter muscularum &
communem distributam) ingrediuntur
cellulosam internam, per eam dispergun-
tur; dant ramos ad musculosam, inde
ad peritonaeum pergentes; & tandem ea-

dem

dem ratione internam tunicam attingunt;
& in eam perpendiculariter quasi inseri,
& terminari videntur.

§. 20. Hoc est vasorum inter mem-
branas intestini iter; quod examen ho-
rum, post artificiosam repletionem, do-
cuit. Quaenam vero sit ipsa horum in
ramos distributionis ratio, patebit, si
solae arteriae in uno, solae etiam venae
in altero intestino, cera probe infarctae
fuerint; & tum hae portiones, aut aëre
distentae, aut, ut liquidius examinari
possint, juxta longitudinem, in loco,
ubi mesenterium adhaeserat, discessae, &
in planitatem expansae, exsiccentur. Ap-
paret tunc alia omnino utrorumque di-
stributio, quam in quavis alia corporis
parte, nec facile describenda. Trunci ma-
iores emittunt minores ad angulos satis
acutos, quandoque rectos quasi, hi ite-
rum alios, qui cum oppositi lateris ramis
crebre communicant, rami etiam ejus-
dem lateris vicini, emissis valculis, jun-
gun-

guntur passim; omnia haec fiunt recto,
curvo, flexuoso, circinnato itinere; tam
mire, tam varie, ut iis clare describen-
dis non sufficiam. Id vero per quam mi-
rum videtur primo adspectu, binas in-
testini ejusdem portiones, hanc per arte-
rias, illam per venas oppletam, ex eod-
em subjecto, proximas omnino & con-
tinuas, penitus aliam distributionis le-
gem ostendere; ut peritus venas ab arte-
riis statim quam facillime dignoscat;
quum tamen, si in quadam intestini por-
tione, cera rubra arteriae, alterius cu-
juscunque coloris venae repleantur, ho-
rum vasorum trunci, rami, ramorum
rami, ramusculi, se mutuo concomi-
tentur quam fidelissime. Sed si attentius
haec consideremus; utraque haec vasa a
duodeni principio, in omni successiva
parte ad ileum usque, sensim & tacite
paullulum in distributione a prima dege-
nerant; ut bina quaevis proxima loco,
eandem, (licet revera parum per differat)

at remotiora paullo penitus diversam distributionem exhibeant. Unde fit, ut licet haec vasa in eadem sede intestini vera sese concomitentur, tamen in binis portionibus, quamvis proximis, diversa horum inter se appareat distributio, & revera sit. Ad quod non nihil etiam confert, quod saepius vena nunc a dextro arteriae latere repens, mox, illam suprascandens, sinistrum teneat; ut seorsim spectatae alium cursum ostendant, quam venae, etiamsi nihilominus haec bina vasa sese ubique concomitentur satis accurate.

§. 21. Illud etiam hic addendum erat, arterias ultimo hic, ut alibi, abire in venas, sive evanescentem arteriolam esse incipientem venulam; quod, uti ipsa ratio facile admittit, ita penitus demonstrant experimenta, quibus vidi saepius, cerasam per arteriam injectam transiisse in venas, & vicissim; ut hac ratione utraque vasa, accurate repleta, sese conco-

mitantia , absque ulla extravasatione ,
distincte conspici potuerint.

§. 22. Ex his vero omnibus perspicuum
est , quantopere in partium nostri cor-
poris perscrutatione necessarium sit , illas
& recentes probe considerare , & subtilibus
artibus omni modo tractare . Uterque hic
modus , solus exultus , mancus est & insi-
dus ; circumspete juncti ad perfectam &
firmissimam cognitionem ducunt . Ut
vero prior pauciora , sed omnia etiam
satis certa , & a naturali statu vix mul-
tum mutata , monstrat ; ita posterior
multo quidem plura , subtilioraque &
elegantiora , sed vicissim minus firma &
secura docet . Nam uti inflatus , vasorum
repletio , & exsiccatio , partibus natura-
lia non sunt , ita etiam horum ope prae-
parata , non naturalem , sed mutatam
omnino faciem , exhibent . Unde nihil
magis requiritur , quam ut in omni prae-
paratione accurate & subtiliter secerna-
tur id , quod demonstrat novi & veri ,

ab

ab omni eo, quod semper simul mutat.
Qui enim hoc studiose non fecerit, &
turpiter decipitur ipse, & alios, temere
fidem ipsi habentes, in errores inducit.
Neque ex una modo praeparatione, sed
ex multis, ante exsiccationem, & post
eam sedulo consideratis, & cum recen-
tibus collatis, certi quid confici potest.
Exemplo sit, ut reliqua mittam, sola
vasorum per intestina distributio. Haec
in recenti vix ulla observatur: post re-
pletionem vasorum, & exsiccationem
repleti intestini, pulcherrime conspicua
est. Quum vero siccando omnes etiam
intestini membranae ad se mutuo ac-
crescant, nihil inde certi de itinere vaso-
rum per has membranas discimus; sed
omnia indiscriminatim, nec distincte per
has ferri videntur: & hac sola contentus
praeparatione eundem fere errorem erra-
bit, ac ille, qui epidermidem a cute
repleta acuto cultello tenuiter abscindens,
& exsiccans, vasorum cutancorum ex-

tremitates, epidermidi siccando agglutinatas, pro ipsis epidermidis vasculis imperitis impudenter venditat. Si vero vasa, repleta intestini portione, nec exsiccata, examinemus, deprehendimus truncos horum vasorum mayores, curtos, inter musculosam & communem aliquantisper ferri in cellulis externis, & hinc saepe in multa pinguedine. Videmus porro, hos truncos rimulas, a secedentibus musculis orbicularibus factas, intrare, & sub musculosa porro in ramos distribui: unde liquet, omnes illos mayores ramos, truncis primis exceptis, qui in exsiccato intestino apparent, decurrere sub musculosa, & quidem in nervea *WILLISII* (§. 8.) aut cavernosa textura (§. 8. & seq.); ut alia iterum praeparatio demonstrat, qua, praemissa vasorum repletione, cellulosa interna paratur; tunc enim eleganter cernimus structuram illam, nivem candore extinguentem, raram, cavernulosam, transmittentem vala ruberrima, copiosa

piosa, corallii instar, certa lege in ramos distributa; ita tamen, ut illa transmitat tantum, & nullum vel minimum, oculis detegendum vasculum, in ea maneat. Si tunc porro consideremus portionem repletam, vel non siccata, vel, parata cellulosa, siccata, clare patet, vasa per cellulosam internam decurrentia ramulis exiguis prospicere musculari, & communi tunicae. Si tandem ante siccationem, vel & post paratam cellulosa internam, tunicam internam solam accurate deglubamus, omnis fere reliquarum rubedo perit, manentibus tamen omnibus majoribus ramificationibus vasorum sub musculara, & exiguis in ea, ipsa vero tunica interna ruberrima apparet a vasculis tenuissimis, quae per eam non decurrunt, sed, ut videtur, eam penetrant, & vagina ab ea accepta in cavum intestini pendula sunt. Nec quidquam porro in his supererit, quod desideremus, nisi, ut determinetur ultimo

ipse tandem horum vasorum extremus finis; quem uti ad oculum nemo videre potuit, ita eum experimentis quibusdam utcunque adsequimur.

§. 23. Sunt vero haecce. Postquam arteriae cerae rubrae ope penitus repletæ sunt, portio ejus intestini, inversa, probe elota, in liquore suspensa, ostendit omnes illos internæ tunicae villos (§. 14.) teretes, crassiores paullo, & omnino rubentes. Idem fere fit, quum venae repletur, nisi quod tunc isti villi sint multo crassiores. Si exsiccatur talis portio, omnes illi villi abeunt in verruculas rubras, tenuiores in priori, crassiores in posteriori casu. Porro ita plerumque evenire solet, ut cera rubra per arteriam mesentericam superiorem versus intestinum injecta, in ipsum cavum intestini penetrat, quod si aperiatur, post induratam ceram, & ante ablutionem spectetur, apparent exigui quasi vermiculi cerei, his villis, circa finem, ut videtur, appensi;

quan-

quandoque albi, saepe etiam rubri. Si per venam meseraicam injectio versus intestinum tentetur, quum hae nullis valvulis impedianter, cera pariter penetrat omnia, & in ipsum quoque cavum intestini effunditur tanta copia, ut si urgeas paullulum, totum cavum implere possis: cera induata, aperto intestino, amota prudenter effusa cera, vermiculi quoque cerei, sed crassiores, semper ruberrimi, ipsis illis villis, etiam crassioribus factis, appendi quasi videntur. Interim si tale intestinum, vel recens, vel exsiccatum, ad solem microscopio anxie examines, nullum ullibi cerae extra vasa errorem, sed integerrima deprehendes omnia. Ex quibus inter se comparatis satis probabilis fit conjectura, maximam partem horum villorum esse tantum arteriolas & venulas minimas, ex vasculis, quae per cellulosam internam decurrent, & ad internam tunicam copiose accedunt (§. 18.), oriundas, accepta ab illa vaginula, productas intra cavum intestini, ibidemque pen-

pendulas; omnibus simul ad extremum finem abscissis quasi & patulis. Quamquam fateri debeam, ipsam vasorum in villos perpetuitatem me videre potuisse nunquam, quantumvis studiose, intestinum sic paratum, ante exsiccationem, expansum, & soli oppositum, vel optimo microscopio aliquoties perlustravetrim. De transitu horum vasorum in glandulas, quum de his silere decreverim, nihil addo.

§. 24. Quam amoena nunc animo diverticula invenirem, si primariam horum vasorum actionem ratiocinando persequi nimium jam crescens hujus disquisitionis moles sineret! Nam & arterias per fines suos extremos patulos, succum entericum continuo plorare, & in intestinum deponere, haud difficulter probarem; & venulas minimas, pendulas, apertas, chylo innatantes, ^a tenuem, biliosam, lymphaticam magis chyli partem recipere, & in venas

^a Cl. Boerhaave Inst. med. §. 106,

venas meseraicas, inde in *venam portarum* derivare, ex ipsa in his locis fabricae contemplatione probabiliter adstruerem; ut sic, vel post detectam regiam per vasa lactea viam, quaedam chyli pars per veterum hanc viam continuo raperetur, ut toties Virum Clarissimum HERMANNUM BOERHAAVE, omni meâ laude majorem, exquisitis argumentis tam probabiliter, cum ingenti animi voluptate, ego & alii quam plurimi, disputantem audivimus. Sed quae diffuse pro dignitate sua tractare mei nunc instituti ratio non sinit, ea brevitate obscurare nolo: & cum hisce legi Academicae & meis promissis satisfecisse mihi videar, finem scribendi faciam, postquam epilogi loco addidero, nulli rei a principio hujus scripturae magis me studuisse, quam ut ubique proponerem nudam veritatem, intemerata fide.

F I N I S.

hunc dicitur, quod est deinde etiam
deinde, ut dicitur in libro Job, propter
consumationem proprieatis sicut
est illud accepit deus de te, quod
magis avum, dñe deus pater
seruit hunc avum consumationem.
ELAMAH. Etiam enim Elamah
est nomen Vini Chingiutum. Ita
etiam Borehane, quod est nomen
magis, exinde pater sanguinis, qui pio
sapientice, cum negotiis suis, obverso
transversilib, dicitur esse 28 deo
universus, sed aperte sive obvi-
tus, non transversus, nam invenit
bonum patrem, et precari optaturus uolens
cum filiis regni Achaemenide regnare
dicitur, prout id videtur, unum
cupido regni, fonsq; regni, id est
sabbato, nullus est a principio pueri
consumatus magis, hoc istud, dum
hunc dicitur, quod

